

scuritatumque distincta consideratio non exigua nostræ Exercitationis scopo fœnerabitur lucem: cum contrà eorum neglectio S. Literarum interpretes, ac Theologos in errorum labyrinthos & hallucinationum Mæandros abduxerit. Putârunt namque quam plurima Scripturarum loca, quando ex verbis notis sensum, quem primò intuitu præ se ferebant, colligere nullò labore potuerunt, esse clara & perspicua, & quidem perspicuitate veri sensus, illicò sibi persuadentes illum, qui sic sese sponte obtulerat, menti S. Scriptoris congruere: cùm interim huic longè alia fuerit; atque adeò loca illa respectu veri sensus sint obscura atque difficilia, illique sibi miserè impo- fuerint interpretes, non animadversâ, aut posthabitâ sensuum distinctione, simpliciter dictum pro verô arripientes, nec ulterius, quod sui officii erat, inquirentes, an eō sensu quô oblatum locum exponebant, etiam scriptô consignârat Author. Sic Pontificii (ut exemplis dicta illustremus) verba Christi, quibus S. Cænam instituit Matth. 26. vers. 26, 27, 28. *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, & bibite ex eo omnes, hoc enim est sanguis meus nova illius Testamenti &c.* Clara & perspicua esse claimitant & scriptitant, ut etiam sunt, ac inde sensum conficiunt nullò negotiô, quemadmodum id cuilibet licet. At hic sensus est tantum simpliciter dictus; non autem verus, quemadmodum id contendunt atque ostendunt Reformati: adeoque hic locus quidem est perspicuus respectu sensus simpliciter sic dicti: non autem veri, sed obscurus. Sic etiam quando in Scripturis Deus dicitur *Dominus cæli & terræ.* Matth. 11: 25. Luc 10: 21. Actor. 17: 24. *Rex gentium.* Jerem. 10. 7. *Rex Regum.* 1 Timoth 6: 15. *Regnare super gentes* Psal. 47: 9. *Genuisse Filium.* Psal. 2: 7. *Dilexisse mundum* Johan. 3: 16. &c. Vocabula sunt, quorum significatio neminem fugit, unde ex iis etiam quilibet non difficulter harum orationum colligit sensus, at non nisi simpliciter sic dictos. Nam hominum ad instar Deum esse dominum, aut regem, aut generare, aut diligere, nullus qui supra vulgus sapere volet, afferet. Quocirca veri sensus altioris erunt indaginis, eorumque respectu hæc de Deo prædicata non perspicua, sed obscura. Unde plebem Christianam, quando passim hæc, ut vocabula primâ fronte sonant, accipiunt, totô constat errare cælô, & omne, qui cum illâ hâc in parte faciunt, S. Scripturæ Interpretres; quibus itaque nostra sensuum, eorumque respectu perspicuitatum, obscuritatumque distinctio apprimè tenenda est, si non continuò turpissimè labi, & in absurdissinarum interpretationum scopulos velint impingere.

8. Duplicem igitur (ut redeamus, unde divertimus) statuimus Obscuritatem, nimirum vel sensus simpliciter dicti, quæ propriè, & simpliciter *Obscuritas* dicitur: vel veri, quæ iterum duplex est. Orationis enim vel nullus occurrit sensus, vel unus, vel plures: Si nullus simpliciter obscura est;

B

si unus,